

ces, sed non minus perniciosos, quia matrem omnium virtutum charitatem expellunt, et illa fugata, omnia simul, si qua fuerint, bona opera pervertunt. Hæc igitur principaliter a fidelium cordibus sunt extirpanda, et cum his, ea quæ superius partim denotando perstrinximus, penitus abominanda. Similiter et illa quæ quasi naturaliter in usu habentur, sicut sunt ebrietates, comessationes, contentiones, detractiones et inimicitie, et his similia, quæ juxta Apostolum homines a regno Dei excludunt: « Quoniam, inquit, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur (Gal. v). » Simili modo et illa colibenda omnimodis, quæ contra jus humanæ societatis, sicut sunt furta, et jam superius dictæ execrabiles rapinæ, calumnie, oppressiones, invasiones, quæ prius reddenda, postea sunt penitentiae remedio corrigenda. Inhibemus quoque modis omnibus cum ingenti protestatione pessimam lucri rabiem, usurarum scilicet adinventionem, quam non minus clerici sectantur quam laici, Dominici immemores præcepti, quo dicitur: « Pecuniam tuam non dabis ad usuram. » Et iterum: « Non accipies a fratre tuo usuram, nec amplius quam dedisti (Levit. xxv). » Extant et alia diversorum criminum mala, quæ improbat et condemnat lex divina, pro quibus populus vastitate et gladio, fame et pestilentia atteritur, et Ecclesiæ status infirmatur, regnumque periclitatur: ut sunt nefandissime cum masculis aut pecoribus pollutiones pro quibus dulcis et benignus Deus noster ad amaritudinem iracundiæ tanto gravius provocatur, quanto contra naturam fieri comprobantur: et ut sunt illa quæ ex paganorum ritu adhuc super esse videntur: scilicet magica, sortes, phylacteria, veneficia, divinationes somniorum conjectationes: quæ omnia puniri jubet lex divina, quia manifestissime in talibus servitus est diabolica. De quibus in concilio Ancyrano titulo 23, ita scriptum est: Qui divinationes expetunt, et morem gentilium subsequuntur, aut in domos suas hujuscemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malifica, aut expiandi causa, sub regula quinquennii jaceant, secundum gradus penitentiae definitos. Similiter unusquisque Christianus caveat et ab his quæ videntur quidem levia, sed contra divina sunt mandata, a scurrilitate et stultiloquio, a fabulis otiosis, turpibusque et obscenis sermoniciationibus. Hæc nempe plurimi non solum in domibus et convivis suis loquuntur, et libenter audiunt; sed etiam, ad provocandum Deum ad iracundiam, in basilicis illi et sanctis ejus consecratis, absque respectu timoris alicujus irreverenter his vacare non desistunt. Servetur sane cultus honor et reverentia Domini diei et sanctarum solemnitatum. Jejunium quoque tam indictum quam etiam quatuor temporum. Cessent mendacia periculosa et noxia, quæ assidue nimis fiunt, juramenta, maledicta, turpia necnon cantica et cætera his similia, quæ longum quidem est enumerare, sed pernecessarium cito corrigere. Considerantes igitur nos omnium operum et sermonum, insuper et cogitationum, reddituros esse rationem ei qui venturus est in majestate terribili reddere unicuique secundum quod gessit, sive bonum, sive malum, et peccata, sive parva, sive magna, non posse impunita esse: ad flagella quoque, quæ pro eisdem jam nunc juste, gravia quidem, sed minora quam mereamur, patimur, non insensibiles, non incorrigibiles, non murmurantes,

A manum ejus ad feriendum extentam, quam ne percuteret anticipare negleximus, dum adhuc paterna pietate sicut filii verberamur, saltem ne usque ad internecionem, ne usque ad animam feriat, mitigare celeri conversione et condigna satisfactione curamus: ne sicut mali servi, et in presenti districta animadversione feriamur, et ad severiora in futuro supplicia pertrahamur. Dum adhuc vacat, dum adhuc qui offensus peccata nostra propter penitentiam dissimulat, et ut ab ejus severitate ad illius bonitatem revertamur, blandimentis et minis clamat: non obduremus corda nostra, sicut hactenus patres nostri et nos egimus. Peccavimus enim cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Jam nunc ergo reversi ad conscientias nostras, et mala quæ gessimus dijudicantes, pura et vera confessione confiteamur Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Procidamus et ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus noster, quia benignus et misericors est, præstabilis super malitia, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Si igitur ex toto corde conversi ad Deum, veram penitentiam fructusque penitentiae dignos fecerimus, crebris et sanctis instantes jeuniis, vigiliis castis, illique bene complacitis, et orationibus falso lacrymarum imbre perfusis, cum elemosynis justis, cæterisque misericordie et charitatis operibus, atque profiteamur nos ad pristina impietatum nostrarum scelera nunquam redituros, juvante ejus gratia, sine quo nihil possumus: si in istis perseveraverimus, satisfacientes Deo et Ecclesie de præteritis peccatis per penitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, et per contriti cordis sacrificium: cito ejus, qui cor contritum et humiliatum non spernit, et qui proprium est misereri semper et parcere, misericordiam consequemur. Cito dicimus, quia apud benignum Deum non tam valet mensura temporis quam doloris. Ipse enim per prophetam loquitur, dicens: « Cum conversus ingrueris, salvus eris. » Itemque: « Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua (Ezech. xxxiii). » Cum ergo tanta sit benignitas Domini Dei nostri non negligamus, non differamus, non tardemus converti ad ipsam, sed sicut nos hortatur sanctus Paulus apostolus, « adeamus eum fiducia ad thronum gratie ejus, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno (Hebr. iv), » per Jesum Christum Dominum nostrum, cui est cum coæterno Patre et Spiritu sancto virtus et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Subscriptiones episcoporum.

Hervæus Rhemensis archiepiscopus his edictis annuens subscripsit.

Wito Rothomagensium episcopus subscripsit.

Rodulfus Laudunensis præsul subscripsit.

Erluinus Beluacensium episcopus subscripsit.

Raubettus Noviomagorum episcopus subscripsit.

Letoldus Catalaunicus episcopus subscripsit.

Abbo Suessorum episcopus subscripsit.

Stephanus Cameracensis episcopus subscripsit.

Huchbertus Meldensis ecclesie episcopus subscripsit.

Otfridus Silvanectensis episcopus subscripsit.

Stephanus Morinorum episcopus subscripsit.

Otgarius Ambianensis episcopus subscripsit.

CONCILIIUM APUD TROSLEIUM

ANNI 921

In quo Erlebaldu ab Hervæo comes excommunicatus, post mortem est absolutus.

(Apud Labb., Concil. tom. IX, col. 379).

De hac synodo causisque, ob quas Erlebaldo inflicta fuerat excommunicatio, scribit in hæc verba

Fladoardus libro iv Historiæ, cap 16: « Excommunicaverat, inquit, Hervæus præsul Erlebaldu com-

tem Castricensis pagi, propter Rhemensis episcopi terram quam pervaserat, ibique munitionem quamdam super Onosam construxerat, indeque frequentia ecclesiasticæ familiæ mala ingerbat. Insuper et castrum Altmontem furtim irruperat. Sed cum nec ita cessaret a malis quæ cœperat, pergit archiepiscopus cum suis ad capiendam munitionem quam ille construxerat, Maceriasque nominabat: quam per quatuor pene hebdomadas obsidens, defendente tandem Erlebaldo, cepit, et dispositis inibi custodiis Rhemis rediit. At Erlebalduſ profectus ad regem, qui tunc morabatur

A in pago Warmacensi contra Henricum principem Transrhenensem, ibidem ab hostibus regis sibi supervenientibus interemptus est. Quem tamen postmodum in synodo quam apud Trosleium idem domnus archiepiscopus cum diœcesanis suis habuit, intercedente rege et obnixè flagitante, a vinculo excommunicationis absolvit. » Flodoardus idem in Chronico: « Anno, inquit, 921, synodus apud Trosleium habita, cui præsedit Hervæus archiepiscopus, præsentem quoque Carolo rege, cujus obtentu Erlebalduſ ibi Castricensis absolvitur. » Hæc ibi hoc anno, cætera exposuerat anno præcedenti.

ANNO DOMINI DCCCXXIII.

WALTERIUS

SENONENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN WALTERIUM.

(Ex Gallia Christiana, tom. XII, pag. 223.)

Walterii Aurelianensis episcopi nepos Walterius, B canonicus majoris ecclesiæ, scientia et nobilitate clarissimus, successit Evrardo mense Martio, ordinatus iv Non. Aprilis 887. Herifredum Antissiodorensem episcopum consecravit in Nigello cœnobio parochiæ Trecensis 29 Augusti, et in sede ejus collocavit 8 Septemb. ejusdem anni. In sequenti cum Francis, Burgundis et Aquitanis convenit de eligendo Francorum rege Odone filio Roberti Fortis et Adelaidis, quem unxit mense Januario 888. In synodo Magduni ad Ligerim habita anno 891, Walterio hortante, sancitum ut nullus deinceps ordinaretur vel constitueretur pater seu rector monasterii S. Petri, nisi quem monachi sua dispositione et libitu voluntatis ex seips' s elegerint. Recentiorum vero sunt temporum constitutiones Walterio ascriptæ, in quibus prioratus conventuales canonici regulares, moniales nigre, vocabula insolita erant sæculo nono. In placito regio apud Vermeriam an. 892 cum aliis iudicibus pagi Atoariensis cellam C Alfa monasterio Adremarensi adversus Agnium monachum adjudicavit. Circa id tempus cum Fulcone Rhemensi archiepiscopo quædam placita pro causa Hildegardis abbatisse suæ diœcesanæ, con-

stituit, quæ cum exsequi non potuisset Walterius, ea quantocius executioni demandari præcepit Fulco, Walterium rogans ut ad condictum eidemque prædictam abbatissam sistere se curaret; sin minus ipse pro sua auctoritate, quod hactenus ob suam in eundem Walterium charitatem facere distulerat, id perfecturus esset. Anno 896 Senonæ obsidione cinctæ sunt et captæ a Richardo Burgundia duce contra Walterium archiepiscopum et Garnerium comitem, testibus Odoranno et Flodoardo, Walterius autem præsul propter contentiones quasdam quas inter se habebant nono ordinationis suæ anno, vi Idus Junii a Richardo captus est et positus in custodia novem mensibus, vivente adhuc Odone rege; post novem autem menses reversus est de custodia Senonas cum pace viii Kal. Martii, datis sub titulo sacramenti obsidibus Richardo duci, inquit Clarius. Hic autem exinde Senonensis urbis dominium tenuit, cui defuncto successit Rodulfus filius ejus, quem electum regem unxit Walterius in monasterio S. Medardi Suessionensis iii Idus Julii 923, eodemque defunctus est anno xiii Kal. Decemb., et sepultus in basilica sancti Petri, in capella sanctæ Petronillæ.

WALTERII STATUTA.

(Apud Labb. Concil., tom., col. 577).

I.

Statuimus, ut abbates et priores conventuales, qui nec venerint [*videtur deesse* ad synodum], nec se excusaverint, prætendendo canonicum impedimentum, per octo dies ab ingressu ecclesiæ suspendantur, et pœna, quantum ad hoc conciliis statuta est, sub comminatione majoris pœna, si aliis annis supra his culpabiles inveniantur [*videtur deesse*, multentur].

II.

Propter scandala gravia quæ ex monialium con-

D versatione proveniunt, statuimus de monialibus nigris, ne aliquem dispositum [*forte* aliquod depositum] recipiant in domibus suis ab aliquibus personis, nisi de licentia episcopi sui: maxime arceas clericorum, vel laicorum, custodiæ causa minime permittant apud se deponi.

III.

Item communiter omnes in refectorio comedant et in dormitorio dormiant, nisi ex causa justa et necessaria, de licentia speciali abbatissæ aliter fieri permittatur.